



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. CXI. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, &c. Carm. gen. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Decore, ut omnes gentium fines tui  
 Beabit ortus nuntius.  
 Iuravit & se adstrinxit immutabili  
 Dominus sacramento tibi,  
 Tete futurum Melchisedecis sibi  
 Ritu sacrorum antistitem,  
 Sol inquieto lucis orbe dum diem,  
 Dum luna noctem illuminet.  
 Ad dexteram ille semper assistet tuam:  
 Ferro tyrannos uindice  
 Compescet: iram commodans suam tibi  
 Gentes rebelles comprimet.  
 Ducemq; regnis imperantem ditibus  
 Sternet solo: torrentibus  
 Latè per arua sanguinis riuis sitim  
 Victor leuabit igneam.  
 Ergo subactis hostibus, cælo caput  
 Tollet decorum gloria.

PSAL. CXI. *Confitebor tibi Domine in  
 toto corde meo, &c. Carm. gen. 4.*

**S**ine inter fidos tractem secreta sodales,  
 Seu sancti stipante caterua  
 Me populi loquar, alme parès, te pectore toto  
 Vsq; canam: tua munera grato  
 Ore feram. magna æternæ miracula dextræ:  
 Magna quidem, sed & inclyta certè,  
 Et manifesta bonis, studio scrutante fideli.  
 Quicquid enim gerit, omnia splendor,  
 Omnia diuina maiestas luce refulgens  
 Illustrat

Illustrat. dum sidera terras  
 Ignea lustrabunt, hunc iustum semper & equū  
 Sera agnoscent sæcla nepotum.  
 Nec quæ primæni quondam stupuere parètes  
 Attoniti, mirandaq; natis,  
 Inuida delebunt obliuia. parcere largus  
 Nempe parens, facilisq; querelis  
 Flectere cor miseris: spolijs ex hoste superbo  
 Direptis decorauit amicos.  
 Nec cum gente sua percussi fœderis illum  
 Immemorem ulla redarguet ætas.  
 Ostenditq; suas per facta illustria uires,  
 Quum populatus regna superba,  
 Dimensusq; nouis hostilia rura colonis,  
 Dilectæ dedit oppida genti.  
 Quicquid agit loquiturq; fides immobilis a-  
 Aequi & regula dirigit omnes. (Eius  
 Quæ iubet, æqua iubet, nulloq; interlita fuce,  
 Aut tacitam cælantia fraudem,  
 Quæq; nec æterno uoluentia sæcula lapsu  
 Interimant, aut tempore carpant,  
 Quippe astans fidei infractæ cōstantia & equū  
 Perpetuò rata iussa tuentur.  
 Quū premeret Pharij imperiū crudele tyranni  
 Selecta de gente nepotes,  
 Excussitq; iugum, & regis fera iussa superbi  
 Exiit: æternaq; beatis  
 Libertate frui donarat, pignora fera  
 Si iurata parentibus olim  
 Intemerata piæ seruassent fœdera Legis:  
 Fœdera nullis irrita sæclis.

Quippe

Quippe Dei sanctum est & formidabile nomē,  
 Ac sanctè sua pacta tuetur:  
 Exigit & duras uiolato fœdere pœnas.  
 Hunc colere ex animoq̄ uereri  
 Viuendi rectè fons & sapientia prima est.  
 Hanc cunctos qui dirigit actus  
 Ad metam, uerè sapit: hunc uentura nepotum  
 Semper dicent sæcla beatum.

PSAL. CXII. *Beatus uir qui timet Domi-  
 num: in mandatis eius, &c. Carm. gen. 3.*

**B**Eatus ille qui Deum rerum patrem  
 Pietate non ficta colit:  
 Deiq̄ gaudet legibus: mores suos  
 Formare ad illas nititur.  
 Latè per urbes diuites potentiam  
 Eius propago proferet.  
 Prolem piorum numinis benignitas  
 Larga beabit dextera.  
 Res affluenter suppetet semper domi  
 Illi: nec ætas longior  
 Obliterabit æquitatis gloriam  
 Fructumq̄. Quum premet malos  
 Fortuna, sæuo gestiens ludibrio  
 Mutare summis infima,  
 Benignitatis tum suæ iustis Deus  
 Lucem in tenebris offeret.  
 Clemens bonusq̄ in omnibus periculis  
 Stirpem piorum muniet.  
 Misertus inopis uir bonus, larga manu  
 Succur-